DE PAULO QUI FERTUR CLAUDIO.



Nondum desiit viris doctis negotia facessere Paulus ille Claudius, quo rerum Romanarum scriptore teste utitur Appianus *de reb. Gall.* III. Neque enim explorata Claudiae gentis prosapia *Paulus* quisquam comparuit, nec peragratis omnibus suspicionum latebris, cuius ille personam induerit inventum esse videtur. Hoc igitur primum declaraturus, quo citius partes suas *Paulus* transigat, impositam eius capiti personam ipse, si potero, detraham.

Appianus: *Καῖσαρ δὲ*, inquit, *πολεμήσας αὐτοῖς* (*Κελτοῖς*) *πρῶτον μὲν Ἐλουητίους καὶ Τιγυρίους ἀμφὶ τὰς εἴκοσι μυριάδας ὄντας ἐνίκησεν. Οἱ Τιγύριοι δ' αὐτῶν χρόνῳ ἔμπροσθεν Πείσωνος καὶ Κασσίου τινὰ στρατὸν ἑλόντες ὑπὸ ζυγὸν ἐξεπεπόμφεσαν, ὡς ἐν Χρονικαῖς συντάξεσι δοκεῖ Παύλῳ τῷ Κλαυδίῳ.* In quibus emendandis atque in Latina convertendis Schweighaeuserus levissime versatus in errorem cum ipse incidit, tum rapuit alios: nam pro Παύλῳ reponi iussit Κοΐντῳ vel *Κουαδριγαρίῳ*, vertitque: »*Claudius Quadrigarius* prodidit in suis *Annalibus*." Equidem quum valde verear ut Graecis Χρονικὰς *συντάξεις* dici constet qui sunt Latinis *Annales*, hoc tamen tanti non facio; sed quam recte possit pro corrupto Παύλῳ restitui Κοΐντῳ, id quaero. Qui sequitur articulus *τῷ* non praenomen, sed cognomen in Παύλῳ latere indicat. Quid de Κουαδριγαρίῳ dicam, in quo nullum est vulgatae scripturae vestigium servatum? — At potest esse Appiani ipsius, non librarii error. — Certe potest, quamquam qui in nomine scriptoris restituendo hanc salutem sperat, meo iudicio se fere victum fatetur. Ceterum est in Appiani libris in propriis quae vocantur nomini-

bus saepe tam vehementer peccatum, ut librariis vix queant omnia menda imputari[1]. Quid, quod APPIANUS cura nominum diligenter exhibendorum non admodum se sollicitari ipse declarat, *Praef.* XIII. s. f.? Itaque sit licet violentior, non est quod hac una de causa coniectura SCHWEIGHAEUSERI improbetur. Tandem, ut hoc quoque afferam, nec tempora impedimento sunt, siquidem annus Urbis 647 L. Cassio et L. Pisoni fatalis fuit, CLAUDIUM autem QUADRIGARIUM etiam de C. Mario septimum Consule scripsisse apud GELLIUM legimus, *N. A.* X. 1. Quod vero argumentum SCHWEIGHAEUSERUS invenire sibi visus est in collatis inter se testimoniis LIVII XXXV. 14 et APPIANI *Syr.* X, ut hunc Scipionis cum Hannibale colloquium tradentem ex eodem fonte, QUADRIGARII *Annalibus*, hausisse efficeret, inde nescio an nihil colligendum sit, quum praesertim ex LIVIO XXXVIII. 23 luculente pateat, referentem de numero ad Olympum caesorum APPIANUM *Syr.* XLII. non sequi QUADRIGARIUM auctorem. Alia sunt, quibus illa coniectura refutetur.

Immemor loci Plutarchei, qui est *Vit. Num.* I, non vidit SCHWEIGHAEUSERUS, PLUTARCHI *Clodium* eundem esse atque APPIANI *Claudium.* Κλώδιός τις ἐν Ἐλέγχῳ χρόνων (*οὕτω γάρ πως ἐπιγέγραπται τὸ βιβλίον*) *ἰσχυρίζεται, τὰς μὲν ἀρχαίας ἐκείνας ἀναγραφὰς ἐν τοῖς Κελτικοῖς πάθεσι τῆς πόλεως ἠφανίσθαι, τὰς δὲ νῦν φαινομένας οὐκ ἀληθῶς συγκεῖσθαι δι' ἀνδρῶν χαριζομένων τισὶν εἰς τὰ πρῶτα γένη καὶ τοὺς ἐπιφανεστάτους οἴκους ἐξ οὐ προσηκόντων εἰσβιαζομένοις.* Perimit omne de scriptore dubium titulorum in varietate consensus, in qua tamen concordi discordia liberior APPIANI versio postponenda Plutarcheae videtur, quippe quae manifesta referat diligentioris curae vestigia. *Οὕτω γάρ πως ἐπιγέγραπται τὸ βιβλίον.* Qua ex re efficio, nec facile PLUTARCHO visum esse notionem quae

---

1) Ne enim premam quod paulo ante verba laudata in codicibus mendose legitur *Παῦλος Αἰμίλιος*, cui viro etiam in aliis scriptis idem cognomen perperam datur, sed *Πάππος* a SCHWEIGHAEUSERO ex Fastis est redditum, — hoc igitur ne premam, vide an librariis tribuendum sit, ut *B. C.* I. 22 *Κορνήλιος Κόττας* scribatur, non *Αὐρήλιος Κ.*; ut I. 50 *Κορνήλιος Κάτων*, non *Πόρκιος Κ.*; I. 52 *Τρεβάτιος*, non *Ἐγνάτιος*; II. 48 *Πομπήϊος Ἰσαυρικός*, non *Σερουΐλιος Ἰσ.*; II. 85 *Σεμπρώνιος*, non *Σεπτίμιος* memoretur.

Latino titulo inesset Graece exprimere, neque adeo VOSSIUM aliosque Ἔλεγχον χρόνων recte vertisse *Indicem temporum*, quem Πίνακα dicere PLUTARCHUS non dubitasset. Mihi quidem tum rei a PLUTARCHO traditae, tum Graeco quo usus est vocabulo longe aptius respondere videtur interpretatio ROTHII (*Hist. rell.* p. 322 SALUST. GERLACH.) *Censura temporum* [2]. Sed quomodocunque hunc librum suum CLODIUS sive CLAUDIUS inscripsit, vix dubito quin errores in eo notaverit, quae in temporibus notandis apud antiquiores rerum Romanarum scriptores passim deprehendisset, et singula studuerit ad iustum annorum ordinem referre. Adeo non est quod designari QUADRIGARII *Annales* putem, tantoque audacius SCHWEIGHAEUSERUS ex sua ipse coniectura conclusit, eundem QUADRIGARIUM Graecos Acilianos libros non modo in Latinum sermonem convertisse, sed continuasse etiam ad suam aetatem. Vide *Adnott.* ad APPIAN. III. p. 172 sq. Postremo, CLAUDII QUADRIGARII *Annales*, si quid est ex GELLIO efficiendum, Hadriani Imp. temporibus ita doctioribus noti lectique fuerunt, ut credere ineptum sit hunc a PLUTARCHO Κλώδιόν τινα dici.

Atque hac in primis causa commoti sunt fortasse, qui reiecta opinione SCHWEIGHAEUSERI alium CLODIUM ex inferis excitaverunt. Quamquam et ipsos a vero aberrasse existimo, ubi CLODIUM LICINUM (LICINIUM) protulerunt, ex cuius libro III *rerum Romanarum* LIVIUS XXIX. 22. 10 ea commemorat, quae pertinent ad alterum Consulatum Scipionis Africani. Quid, quod illa suspicio induxit FRID. LACHMANNUM (*de fontt. Liv.* II. p. 23) et KRAUSIUM (*Vitt. et fragm. hist.* p. 213), ut apud APPIANUM pro Παύλῳ scribendum esse Πουβλίῳ vel Ποπλίῳ coniicerent? Nimirum errabat sine praenomine LICINUS; ita per coniecturam

---

2) Aliud POMPILIO ANDRONICO fuisse consilium suspicor, cuius *Annalium Ennii Elenchi* memorantur a SUETONIO, *de ill. gramm.* VIII: nam ENNII nomen ERNESTUS invitis codicibus delevit. POMPILIUS enim grammaticum egisse maximeque in oratione ac verbis notandis operam posuisse videtur. KRAUSIUS vero (p. 318) POMPILII libros similes fuisse opinatur »libellis Clodii apud Plutarchum »et Claudii sive Clodii apud Appianum," iam pro duobus habens, quos p. 214 non diversos dicit, »et libro Attici, quo explicatis ordinibus temporum uno »in conspectu omnia videre licuit." Sed ATTICI *Annalis*, de quo disputavi *Diatr. in T. Pompon. Att.* p. 185 sqq., vereor ut possit cum Ἐλέγχῳ CLODII comparari.

aliquo donaretur. Iidem autem quum hunc censerent esse CLODIUM illum, cuius fit a CICERONE *de Legg.* I. 2. 6 in censura historicorum mentio, omiserunt ostendere quomodo in *quendam* CLODIUM hoc ipsum conveniret. Non convenire sensit, si recte video, KRAUSIUS; sed idem meminisse simul debebat, se ita de sententia deflectentem omnia commiscere sibique ipsum contradicere. Vid. l. l. p. 213 init. et p. 214 med. ROTHIUS, ne conatus quidem rem ad liquidum perducere, complurium CLODIORUM fragmenta deinceps exhibet, p. 322 sq., in quibus SEXTI CLODII, haud dubie Siculi illius pereruditi, quem Latinae simul Graecaeque eloquentiae professorem (SUETON. *de clar. rhet.* V) amicum habuere M. Antonius (CIC. *Phil.* II. 17, 19, 39; III. 9) et T. Pomponius Atticus (CIC. *ad Att.* IV. 15. 2). Idem libros de Diis Graece scripsit, ex quorum sexto de Bona Dea pauca referunt LACTANTIUS *I. D.* I. 22 et ARNOBIUS *adv. gent.* V. 18; an vero Latine etiam scripserit sitque aliquo modo de historia meritus, ignoratur. Ergo neque hunc SEXTUM CLODIUM, quem VOSSIUS intelligendum censuit, nec Tuscum illum, *Commentariorum* scriptorem (SERV. *Aen.* I. 52, 176; II. 229, XII. 657), quo amico SINNIUS CAPITO et OVIDIUS usi sunt (HERTZ, *Sinn. Capit.* p. 12), a PLUTARCHO et APPIANO laudari putaverim; *Pollionem* CLAUDIUM sive CLODIUM puto.

Et primum quidem hoc facile impetrabo, non ita violentam esse medicinam, si APPIANO pro Παύλῳ restituam Πωλίωνι, quod fortasse in Πωλίῳ vel Πώλῳ depravatum in illud tandem abiit; tum nec valde antiquum neque illustrem scriptorem fuisse, qui a nullo ante PLUTARCHUM, a nullo post APPIANUM in historicis memoretur, atque ita Plutarcheum τινὰ nullo negotio explicari. Ex CLAUDIIS autem POLLIONIBUS, quorum mentionem illatam invenio, nonnisi duorum haberi ratio potest, siquidem tertius Macrini Imp. temporibus vixit. Vid. *Exc.* DIONIS CASS. LXXVIII. 40. Alterum Neronis aequalem, sed Domitiano imperante in vivis fuisse auctor est SUETONIUS *Domit.* I, ubi huius adolescentis infamiam notans: »Satis constat," inquit, »Clodium »Pollionem, praetorium virum, in quem est poëma Neronis, »quod inscribitur *Luscio*, chirographum eius conservasse, et »nonnumquam protulisse, noctem sibi pollicentis." Huius quidem POLLIONIS filium fuisse suspicor eum, qui a PLINIO iu-

niore *Epp.* VII. 31 Cornuto Tertullo commendatur: ne enim pro eodem habeamus aetas obstare videtur, sed utique obstat gesta Praetura, quo magistratu PLINII amicum non functum esse satis apparet. Quae res fefellit NIEUWLANDUM, *dissert. de Musonio Rufo* p. 18. In literis igitur Plinianis CLAUDIUS POLLIO non tantum describitur »vir rectus et integer," sed etiam amantissimus literarum *vitae*que *Annii Bassi* scriptor. »Idem," ait PLINIUS, »quam reverenter, quam fideliter amicos colat, »multorum supremis iudiciis, in his Annii Bassi, gravissimi »civis, credere potes, cuius memoriam tam grata praedicatione »prorogat et extendit, ut librum de vita eius (nam studia quo- »que, sicut alias artes bonas, veneratur) ediderit. Pulchrum »istud et raritate ipsa probandum, quum plerique hactenus »defunctorum meminerint, ut querantur." Sic recensuit hunc locum GIERIGIUS, quem non fugit in Annium illum convenire testimonium, quod dicit TACITUS *Hist.* III. 50, ubi de rebus ab Antonio Primo post expugnatam Cremonam gestis tradens: »Ducebat Poppaeus Silvanus, consularis," inquit; »vis consilio- »rum penes Annium Bassum, legionis Legatum; is Silvanum, »socordem bello et dies rerum verbis terentem, specie obsequii »regebat, ad omniaque, quae agenda forent, quieta cum in- »dustria aderat." Factum hoc est a. p. Ch. 69, propinqua hieme; proximo autem anno, Vespasiano Imp., Kal. Nov. creatos esse Consules L. Annium Bassum et C. Caecinam Paetum Fasti docent. Plura de hoc L. Annio me legere haud memini. Iisdem iam temporibus et cum Annio Basso militavit fortasse qui vitam eius scripsit CLAUDIUS POLLIO, a. 82 Praefectus alae milliariae, »postea promotus ad amplissimas procuratio- »nes," ut testatur eius in expeditione Syriaca commilito PLINIUS l. l., tunc ipse adolescentulus (*Epp.* I. 10). Ex quo MASSONUS, *Vit. C. Plin. iun.* p. 43, equestris ordinis fuisse POLLIONEM recte collegit. Denique PLINIUS: »Nunc otium patitur," inquit. »Quod quidem paullisper cum magna sua laude inter- »misit et posuit, a Corellio nostro ex liberalitate Imperatoris »Nervae emendis dividendisque agris adiutor adsumtus." Quae omnia quum indicare videantur editum esse librum *de vita L. Annii Bassi* in otio, quo CLAUDIUS ante imperium Nervae usus fuisse dicatur, tum arguunt etiam, alium fuisse POLLIONEM

Plinianum Traiani temporibus fortasse mortuum, alium Praetorium virum, aequalem Neronis, sed Domitiani temporibus superstitem.

Iam vero si qua veri specie statui sub *Paulo* latere *Pollionem*, Ἔλεγχον χρόνων haud temere videar ad PLINII amicum referre. Hic certe scriptorem egit, quod de altero non proditur; et quia in viris literatis non primas tenuit, in cive Chaeronensi, qui vitas excellentium Romanorum Graece scripsit, nec mirum est nec aegre ferendum, quod virum Romanum genere quidem nobili, sed fama in historicis obscuriore, *cuiusdam* nomine laudavit.

Sed de CLAUDIO POLLIONE dicenti non negligenda est NIEUWLANDI coniectura, WYTTENBACHIO, HEERENO, PEERLKAMPIO aliisque probata, qua Ἀπομνημονεύματα MUSONII RUFI eidem POLLIONI vindicantur. In PLINIO enim NIEUWLANDUS quum *Musonii* BASSI nomen legeret, atque Ἀπομνημονεύματα illa a SUIDA *Asinio* POLLIONI perperam tribui perspexisset, hunc nodum ita dissolvit, ut SUIDAM statueret ASINIUM cum CLODIO permutasse, BASSUM autem MUSONIUM a RUFO non diversum crederet. Vid. l. l. p. 17 sqq. Quae quidem coniectura si ante PLINII recensionem, a GIERIGIO curatam, fraudi esse posset, certe obliterata apud PLINIUM *Musonii* memoria et *Annii* nomine restituto, esse non debebat, quamvis ipsa emendatio nonnisi paucorum codicum auctoritate facta videatur [3]. Sed sive hac sive alia causa commoti sint, quibus GIERIGIUS non persuasit, NIEUWLANDI suspicio quo commendetur prorsus nihil habet. Fac enim MUSONII nomen loco Pliniano recte legi, nequit indicatus esse philosophus, cui fuit *Rufus* cognomen, non *Bassus*. »Saepius," inquit Nieuwlandus, »apud Romanos unus idemque homo variis »simul utebatur cognominibus, e quibus aliud alio frequentius »occurrit: ne dicam Bassi nomen aut ex alio corrumpi, aut »aliunde intrudi potuisse." At potuisse fieri satis non est, nisi probabilis causa accedat, cur factum esse putemus. *Mucius* et *Minucius*, *Minucius* et *Munatius*, ut his utar, facillime

---

3) »*Annii* dedi cum Aldo, Gryphio et Sichardo. Idem nomen notavit Ca»tanaeus nec improbavit Corte. Sine dubio idem voluit Mediceus, in quo »*Hanni*." Haec GIERIGIUS.

inter se permutantur, non *Rufus* et *Bassus*, quibus cognominibus interdum pater et filius, velut ASINII, ipsa PLINII aetate distinguebantur. Vid. *Epp.* IV. 15. Quod autem »statuendum »foret, res duorum eiusdem nominis hominum, eodem tem»pore, a duobus itidem eiusdem nominis auctoribus memoriae »proditas esse," idque NIEUWLANDO »prorsus absurdum" visum est, huius causae non video quae sit gravitas. Nec cogitavit ille, num forte multo esset absurdius statuere, res duas unius hominis ab uno auctore memoriae esse proditas, et *vitam* et Ἀπομνημονεύματα. Tandem, quod »tota Plinii com»mendatio ac laudatio a grammatici persona aliena esse vide»tur," ex hac verissima NIEUWLANDI sententia ego contrarium efficiam, CLAUDIO POLLIONI Ἀπομνημονεύματα MUSONII philosophi tribui non debere. Nec valde ornat philosophum *gravissimi civis* titulus, ut est in epistola Pliniana. Quod nomen quum in L. ANNIUM optime valeat, tanto magis est in GIERIGII emendatione acquiescendum.

Scr. Amstelodami,
a. d. VIII Kal. Ian. MDCCCLVI.

I. G. HULLEMAN.

ONOSANDER.

Expromere iuvat felicem Koenii emendationem, qua restituit Onosandri locum *ἐν τῷ Στρατηγικῷ* cap. X. p. 57. Schweb. ubi legitur: *γενομένων δὴ καλῶν τῶν ἱερῶν — καλείτω (ὁ ϛρατηγός) πάντας ἐπὶ τὴν ὄψιν ἵνα θεασάμενοι τοῖς ὑποτεταγμένοις θαρρεῖν λέγοιεν ἀπαγγέλλοντες ὡς οἱ θεοὶ κελεύουσι μάχεσθαι· πάνυ γὰρ ἀναθαρροῦσιν αἱ δυνάμεις ὅταν μετὰ τῆς τῶν θεῶν γνώμης ἐξιέναι νομίζωσιν ἐπὶ τοὺς κινδύνους· αὐτοὶ γὰρ ὅ τι τεύξονται κατ' ἰδίαν ἕκαϛος καὶ σημεῖα καὶ φωνὰς παρατηροῦσιν.* Rem acu tetigit Koenius in Epistola inedita ad Valckenaerium, (quam cum Valckenaerianis schedis servat vir Amplissimus Luzacius) emendans: *αὐτοὶ γὰρ ὀττεύονται κατ' ἰδίαν* i. e. *auspicantur privatim*, quod Romanos olim omnes facere solitos nemo nescit (Cic. de Divin. I. 16.) idque milites diutissime retinuisse nemo mirabitur.

C. G. C.